



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 1. Cardinalis Campegius a Papa Legatus ad Norimbergensem
Conventum nominatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER CXXIX.

CLEMENS VII. PAPA.
CAROLUS V. OCCIDENTIS
IMPERATOR.

§. I.

*Cardinalis Campegius a Papa Lega-
tus ad Norimbergensem conven-
tum nominatus.*

Cum novus Papa Germanis ob ex-
posita gravamina seu onera quo-
dammodo fatisfacere intentus es-
set, in pleno Patrum confessu propo-
suit, quod velit Legatum decernere a

ex-Sæcul. XVI.

A.C. 1524.

Concl. in act.

Luth. anno

1524. p. 88.

C c 3

Comi-

Sæcul. XVI. Comitia, quæ ineunte hoc anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto Norimbergæ celebranda essent. Selegit ergo ad hanc Legationem Cardinalem Campegium, Virum virtutis merito, ac scientiæ laude conspicuum, ac inter ceteros Sacri Collegii Præsules longe præstantissimum; nam pollebat magna negotiorum experientia, rara integritate in multis occasionibus sat probata, ac præterea ingenti studio erga fidem Catholicam flagrabat, cetera pacis ac concordiae studiosissimus. Horum meritorum concursu pellectus Pontifex facile sibi persuasit, hunc Virum ad placandos Germanos de oneribus quibusdam querentes præ ceteris idoneum fore, quocirea plenam eidem agendi potestatem concessit, dummodo nec Sedis Apostolicæ auctoritatem, nec Romanæ Curiae usus in discrimen adduceret.

*Sleid. in com
lib. 4. p. 106.
Ughel. in
Ital. sacra
Pallav. Hist.
Conc. Trid.
l. 2. c. 10.
Raynald. an.
1524. n. 1.
Ulemburg. in
vit. Luther.*

§. II.

Mandata Pontificis Legato data.

*Pallav. &
Cohl loc. cit.
Flor Raym
de orig. hæ-
res. l. I.*

Libellus centum gravaminum, ut dictum est, Cheregato Nuncio remissus non fuerat, sed post illius discessum ad Adrianum Pontificem directus, ideo Clemens VII. Campegio in mandatis dederat, ut dissimularet, se scire propositiones